


1858

1858





Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS

De

1678, 5

23.

16

GRADIBUS ACADEMICIS,

QUAM

Annunte JEHOVA

AUTORITATE & DECRETO

ILLUSTRIS

DOCTORUM ORDINIS

IN INCLYTA GIESSENSI UNIVERSITATE

Pro GRADU

& privilegiis doctoralibus in U. J.

legitimè capessendis,

Ad d. Maji.

PUBLICO PROCERUM ACADEMICORUM
examine submittit

JO. CHRISTIANUS ITTER,

MOENO-FRANCOFURTENSIS.

GIESSÆ,

Ex Officinâ JOH. EBERHARDI PETRI & CHRISTIANI LIEBENSTEINI.
Ann. M. DC. LXXVIII.

S. R. I.
Liberæ Reipubl. Francofurtensis
Inclyto Senatui.

VIRIS

*Illustri, Generosis maximeq, Strenuis, Magnificis,
Amplissimis, Consultissimis & Prudentissimis,*

PRÆTORI,
CONSULIBUS,
SCABINIS,
SYNDICIS,
SENATORIBUS,

Dominis & Patronis suis summâ
animi observantiâ devotè
colendis.



NON animus sed occasio defu-
 it haectenus, quo minus ad-
 versum ingentia vestra, MÆ-
 CENATES, beneficia, ali-
 quod grati animi exhiberem
 specimen. Et ne nunc quidem talis est qua-
 lem vellem. Quam enim hîc inclyto & per
 totum orbem celeberrimo nomini Vestro
 inscribere sustineo inauguralem disputa-
 tionem, talis utique non est, ut mereretur
 Vobis, DOMINI, tantorum beneficiorum
 loco offerri & dedicari. Sed debebat ni-
 hilominus obsequiosissimi gratissimique
 animi mei, debebat summæ devotionis,
 qua Patriæ suæ PATRIBUS civis est obstri-
 ctus, etiam publicè extare testimonium.
 Nec differri res moramque pati diutius po-
 terat. Quid ergò? Quaquam versus etiam o-
 culos conjiciebam, ingens ubique se osten-
 debat inopia: certè aliam occasionem non

A 2

repe-

reperi, nisi eam quam præsens inauguralis
dissertationis suppeditat libellus. Eum er-
go Vobis, DOMINI, velut obsidem spon-
loremq; devotissimæ mentis, dedico con-
secroque. Suscipite illum benignè, nec ex
sui ipsius præstantia, quæ nulla est, sed debi-
ta offerentis pietate æstimate. DEUS vos,
MÆCENATES MAXIMI, unica pu-
blicæ rei præsidia Patriæ nostræ conservet,
& perpetua felicitate florere jubeat. Hæc
civium Vestrorum, hæc mei voti summa
est.

INCLYTI NOMINIS

V.

devotissimus Client

Jo. Christianus Itter,



LECTORI.

Va hinc oculis tuis subjicitur in angularis disquisitio, non ita concepta est & nata, sicut publica luci aliàs destinata erat. Aliter enim & latius multo argumenti hujus capita tractaveram, qua nunc per indicem saltem & ferè tumultuariè exhibentur. Quid moverit, ut rem coarctarem hisq; cancellis includerem, ego novi, sed nec alios fortè latet. Nimirum festinandum erat & vale academice vite, etiam prater intentionem, dicendum, variis ex causis, quas multis hinc recensere nihil attinet. Fiet tamen, ut & perfectior hujus argumenti & diffusior tractatio publica luci detur, nisi superiorum malimus negligere mandata, quàm malevolorum quorundam, quales nunquam desunt, evitare censuram. Tu, LECTOR BENEVOLE, & presentem dissertationem, & qua propediem sequentur favore tuo dignare. VALE.

Thesis I.

Cùm per totam hanc dissertationem brevitatem maximè sectandam nobis proposuerimus, ut statim sub initium luculentum ejus extet specimen, recedemus hac vice ab illorum more, qui antequam ad rem ipsam progrediantur, vocum præmittunt explicationem, earundem homonymiam & synonymiam sedulò & operosè conquirunt, etymologiam etiam subtiliter sæpius & multa cum curiositate indagant. Ut ut enim studium illud, circa quod priscos etiam JCTos occupatissimos fuisse constat, si nimia illa licentia, quam in ineptias non rarò desinere in *Observat.* suis summus JCTus *Cu-* 11, 37. jacijs notat, absit, non improbemus, nec queamus etiam; cùm tamen voces quæ hinc evolvendæ aliàs forent, satis notæ sint, non peccabimus, opinor, aut veniam saltem consecuturos nos speramus, si missa *ὀνοματολογίᾳ* ad ipsius rei tractationem properemus.

II. Ut autem id primò ostendamus, licitum esse graduum academicorum appetitum; eorum fundamentum ex principiis moralibus paulò altius repetemus; quod ita planum fiet. Dari aliquod summum in hac vita bonum indeliquet, quia non tantum omnes nostræ actiones certis destinantur finibus, sed & finium illorum alius propter alium expetitur atque intenditur. Heic ergò aut in infinitum abire erit necessum, aut dicendum, esse aliquem finem ultimum & summum in quo omnes nostræ actiones, omnia nostra studia desinant tandem & acquiescant, id quod fusius ostendunt Scriptores ethici, in primis Horne-
3. 7. *jus in philos. moral.* Finis ille ultimus nihil aliud est quàm ipsum bonum de quo nunc disquirimus, quodque summum s. felicitas civilis appellari consuevit. In quonam v. id consistat discipratum est acriter inter inter priscos Philosophos, quorum circa eam rem dissensiones cum vulgares etiam Ethicorum libelli passim exponant, superfluum fuerit in re tam nota, & hoc quidem loco diu morari.

III. Ac eo quidem non prolabimur, ut in honorum ademptione positam dicamus felicitatem illam, minus adhuc asseremus, eum ad summum in hac vita pervenisse felicitatis gradum qui in academia gradum est consecutus: dudum enim illa à veris moralis philosophiæ principiis aberrans, honores pro summo bono venditantium sententia ab Ethicis est proscripta. Nec tamen dubitari debet, eos qui academicos appetunt gradus, tale quid appetere quod honorarium est summo bono, ejusque splendorem auget, verbo, quod ad summi boni adjuncta, & ea quidem, quæ communia Ethici vocant, referri potest debetq;. Cum v. non ipsum tantum summum bonum, sed & ejus adjuncta ex illorum sint numero ad quæ obtinenda omni animi contentione meritò laboramus, ultro sequitur, appetere honores & academicos gradus in vitio poni non tantum non posse, sed laudem insuper mereri haud vulgarem.

IV. Inde quoque justitia hujus dignitatis potest asseri, quod collatio ejus nitatur immoto illo & perpetuo juris præcepto, quod suum cuique tribui jubet. Natura enim justitiæ hoc exigit, ut non uno omnes habeantur loco & ordine, sed
mali

mali & facinorosi pœnis, præmiis verò & honoribus affician-
tur probi & benè meriti. Quin & in ipsa hac præmiorum &
consequenter academicorum quoque honorum distributione,
ut æqualitas servetur maximè occupata est justitia quam distri-
butivam vocant, ne vel virtutibus inæquales æqualia, vel æqua-
les inæqualia consequantur præmia, indeque motus oriantur
in Republica & seditiones. Conf. Conring. *disp. de mutat.* § th. 5, seqq.
corrupt. Rerump.

V. Sed & à publica utilitate pro academicis honoribus
argumentum non leve poterit desumi. Quanquam enim illa
ubi ab honesti ratione est separata, nullam vim producat & effi-
cacia, hîc tamen ubi honestati utilitatis quæstio contraria non
est, maximum habet momentum. Manet enim verissimum, non
minus utile esse præmiis ad virtutem invitari bonos, quàm pœ-
narum metu à criminibus arceri improbos, etsi fortè Bodino ^{5. de Rep.}
id nemo persuaserit. Imò quàm necessarium est, habere omni ^{c. 4. n. 547.}
tempore bonos & eruditos in civitate Cives, qui, ubi necessitas
postulat, peritè & ex artis præscripto tam secularia quàm eccle-
siastica negotia queant tractare, tam commodum quoque est,
nec minoris necessitatis, cives istos virtutis & eruditionis suæ
præmia ferre & testimonia, nî sublatis studiorum pretiis ipsa ^{Tacit. II.}
quoque studia perire malimus ^{An. 7, 4.}

— Quis enim virtutem amplectitur ipsam
Præmia si tollas?

Non secus ac plurimi mortalium scelera non propter turpitu-
dinem eorum, sed ob pœnarum metum publicamque Magistra-
tus vindictam fugiunt. Quod utrumque Ulpianus eleganter ^{l. 1. ff. de J.}
expressit: *Bonos non solum metu pœnarum, sed & præmiorum ex-* ^{& J.}
hortatione effici: hisque duobus valdissimis quasi vinculis Re-
publicam contineri notissimum Solonis effatum est.

VI. Constat ergo ex hæcenus dictis sufficienter, petere
honores & academicos titulos licere unicuique, qui moribus
doctrinaque iis dignum se reddiderit, ut nihil habuerint causæ
cur tantoperè eos fastidierint Cinglius & Carolstadius. Et va-
nissima utique fuit hujus pietas, quòd ob textum Math. Docto- ^{23, 8. & 10.}
ris titulum averfatus frater Andreas, Bruder Enders, maluerit
vocari,



p. 3. c. 6.

q. 4.

V, p. 272. a.

vocari, facta insuper solenni protestatione in promotione doctorali Jo. Westermanni & Gotscalci Crapii, nemini se post-hac honores doctoreos esse collaturum, vid. Theolog. pariter & Philosoph. excellentiss. Vir Maximè Reverendus Dn. D. Rudrauff, Patronus noster in *Inst. moral.* Equidem non aliam de Doctoris titulo fuisse mentem b. Lutheri nostri, Pontificii sunt commenti; sed quam injurii sint in beatissimi Viri manes, ostendunt cum binis quos pro Lutheri defensione adornavit tractatibus Hamburg. Theologus D. Jo. Mullerus, tum ipse beatus Vir *Tom. Altenburg.* unde luculenter apparet, quàm diversissimus ille sit à Cinglio & Carolstadio, qui si fortè & sub modestiæ cujusdam specie Doctoris nomen repudiaverint, nosse debuerant, non ideò quia nimia culpatur φιλοτιμία, αὐφιλοτιμίαν laudem mereri.

VII. Asserta ergo justitia graduum academicorum, pauca notabimus nunc de eorum origine. Quæ vel philosophica est, vel historica. De origine philosophica ex jam dictis potest constare, suppeditantque nobis eam causa illa impulsiva & rationes quibus primi fundatores moti eos introduxerunt. Fuerunt a. procul dubio non aliæ, quàm ut honoribus istis tanquam præmiis quibusdam incitati ardentiori cura majorique industria ad ejusmodi studia contenderent homines, unde non minima Reip. salus sperari poterat; tum etiam, ut quos quisque in studiis fecisset progressus, his velut certis quibusdam notis fieret testatum, hocque medio diligentes à negligentibus, docti ab indoctis secernerentur.

VIII. Originem historicam multi ignotam adhuc, & in incerto fatentur. Sunt tamen qui ab Augusti temporibus eam repetere satagunt, Zasius, Corasius hosque secuti Franzkius & Eckoltus ad *tit. de O. I.* hujusque assertionis suæ fundamentum petunt ex *l. 2. §. 1. ff. de O. I.* Enimverò si creationem Dd. qualis hodie est, jam tum temporis cœpisse isti statuunt, vix est ut assensum mereantur, cum ex cit. l. id nunquam probari queat, nec etiam alibi certum hujus rei hæcenus monstratum sit vestigium. Sed fortassis nec ipsius Corasii & sequacium hæc mens fuit. Plurimi ad Lotharii Saxonis tempora graduum acad-

dem.

dem. natales referunt, quorum sententiam dubiam faciunt, quæ de introductione Juris Justiniani in Germaniam disputavit *ὁ πρῶτος* Conringius nobili tract. *de O. J. G.* Paulùm à prioribus *c. 21. seqq.* abeunt, qui ante editum Gratiani decretum & sententias Lombardi scholasticos istos titulos non fuisse usurpatos testantur. v. Dresser. *Isagog. historic.* Georg. Christoph. Walther tria hominum graduum constituit principia, inchoantia, crescentia & perfectientia. Ad inchoantia refert mores Judæorum & Græcorum. Ad crescentia consuetudines Romanorum. Ad perfectientia instituta Germanorum, idque latè deducit *tr. de Statu Juribus & privilegiis Dd. omnium facult.* Ab omnibus his recedit Vir maximè in rebus historicae autoritatis H. Conringius, qui insignium doctoralium collationem tertio decimo demum seculo cœpisse, neminemque ante istam tempestatem in ipsa omnium primaria Parisiensium schola solenni more creatum esse Doctorem, aperte testatur libro de *Antiquit. Academ.* Ego, *Suppl. 67. p. 364.* cum deficient monumenta historica, quod statuum non habeo, maloque in re obscura nihil definire, quam aullo aut lubrico fundamento hanc illamve sententiam pro vera & indubitata venditare.

IX. Satis etiam de origine. Videamus, quid sit gradus academicus. Definitionem hanc damus. *Gradus academicus est honor personalis, in re literaria summus, vel ad summum ordinatus, à Majestate ob virtutem, potissimum intellectualem, merentibus collatus.* Estque Baccalaureatus, Magisterium, Licentia & Doctoratus.

X. Baccalaurei nomen an à bacca lauri (quod Bœclero videtur) an à baculo, aut gallico bachelier, vel bataille, deductum sit, disputent alii, nobis nunc non vacat curiosius ista rimari. v. M. Martin. *Lexic. Philolog. h. v.* Gradus autem iste quamquam moribus nostris contemptim ferè habeatur passim; aliter tamen de eo est sentiendum. Nam & Baccalaureatus dignitas est, etsi non tanta quanta reliquorum graduum. Nihil movet, quod aliis dicatur tantùm preparatio ad dignitatem. Nulla enim hinc contradictio. Est etiam de Regalibus, Dn. Cancell.

B

Schüz,



2, 1, 10, 2. Schütz, de S. R. R. Unde non minus ac reliquorum graduum in
 6, 6. 12. fin. Tubingenses J. C. Böldus, *dissert. de Studios. Magistrat. Sc.*
 5, 12. & Wurmserus *Exercit. Jur. publ.* alique. Quoad facultates
 tamen superiores in plurimis locis in desuetudinem ferè abiit
 hodie Baccalaureatus.

XI. Idem quoque fatum expertus est gradus Magisterii.
 Nam hoc insigniri tantum solent qui absoluto Philosophiæ &
 artium liberalium studio dignos se ista laurea reddiderunt; id-
 que Germaniæ nostræ moribus; alibi enim & hodiè adhuc
 creari Theologiæ Magistros notum est. Olim nomen hoc ge-
 nerale fuit, omnium facultatum Doctores comprehendens;
 Post Theologis quorundam locorum consuetudine tribui cœ-
 pit, qui κατ' ἐξοχλῶν Magistri nostri (quem titulum falsè perstrin-
 git Erasmus *Encom. Mor.*) appellati sunt, & hinc etiam morem
 illum hodiernum receptum, quo in Rescriptis & diplomatibus
 Principum Doctoribus aliquando præponuntur Magistri, ma-
 nasse, non malè suspicantur nonnulli. v. Linn *Jur. publ.* Uti ve-
 rò istis temporibus titulus Magistri Doctoribus adscriptus est,
 ita & Doctoris nomen Philosophiæ Magistris hodiè rectè tri-
 bui, pari sc. ratione, constat, ut non videam quo jure id impu-
 gnet Walther, suo tract. passim, & qui huic secundas, nescio
 an majori felicitate, egit Gerh. Feltmannus *tr. de titulis honor.*
 Sanè mirari subit reperiri inter viros doctos, qualis oppido
 Feltmannus est, (nec Waltherus alio numero fortè censendus)
 quibus adèd est invisus ordo Philosophiæ Magistrorum, ut etiã
 nomen Doctoris, jure tamen ipsis competens, & ab ipsa Impe-
 ratoria Majestate tributum, eripere illis conentur, undique con-
 quisitis & ne colorem quidem veritatis habentibus argumen-
 tis, id quod pridem ostendit Cellarius *polit. succinct.*

6. 14. §. 26. feqq. XII. Tertius & Doctoratui proximus gradus est Licen-
 tia, unde qui eo decorati sunt Licentiati, in quibusdam locis
 Doctorandi appellantur. Hos iisdem cum Doctoribus frui
 privilegiis, sunt qui statuunt. Alii nomine Dd. & Licentiatos
 venire ubique, alii tantùm in favorabilibus, non in odiosis, re-
 spondent. Sed distinctè hîc agendum est. Licentiati interdum
 dicun-

dicuntur illi, quibus à Doctoribus suis in illo artium genere, quod profitentur, audiendi licentia est concessa. Alios quarundam Academiarum consuetudo vocat Licentiatos, qui coram aliquibus facto periculo, idonei iudicati sunt, ut publico examini committantur. Illi hinc loci planè sunt alieni. Sed nec ad nos nostra pertinet tractatio. Tertio nomine Licentiatorum veniunt, quibus exantlato solenni examine, habitaque disputatione, quam vocant, inaugurali, licentia, h. e. facultas & potestas est concessa, summam doctoralem dignitatem consequendi quandoque placuerit; quos alii elegantius locuturi designatos Doctores appellant: Feltmannus verò titulum Licentiatum immeritò iisdem tribui existimat *de tit. honor. quod non probamus. l. c. §. 9.* Denique vocantur Licentiatum, qui adhibitis & in promotione doctorali (pilei impositionem excipiunt) consuetis ceremoniis acritu, solenniter tales sunt creati, vulgò Licentiatum promoti dicti. Hos inter & Doctores quoad examen solenniaque renunciationis (pileum excepimus) in universum alia differentia non est, nisi nominalis illa, quod in horum creatione Licentiatum, in illorum verò Doctoris titulus adhibeatur, quam & aliam Academiae Tubingens. addat Besoldus in *ib. pract. voc. Doctor.*

XIII. Ita varia Licentiatorum enarravimus genera, nunc quaeritur, an & quanam Licentiatum Dd. privilegiis gaudeant? Illos, de quibus primo & secundo loco dictum, jam hinc removimus. Licentiatos verò promotos eodem loco ratione privilegiorum cum Doctoribus habemus. v. *Walther. cit. tr. §. 146.* imò melioris quandoque conditionis hos esse, quam Doctores, ostendit consuetudo illa, quæ nonnullis in locis à senatoria dignitate hos excludit, admissis Licentiatum. Omnis ferè controversia est de Licentiatum, qui absque solenni renunciatione gradum (nam & hanc Licentiam gradum esse, verius videtur) consecuti sunt. Plurimi Dd. privilegia his denegant, Dn. Cancell. Schuz *Coll. publ. Wurms. Exerc. Jur. publ.* Besoldus *ib. 2, i, 10, a. pract. voc. Licentiat. distinctè rem definit. B. Dn. Tabor. tr. de 5, 11. metat. ibique cit. M. Stephani negantibus accedunt, sed ita, nisi p. 202.* usus aut consuetudo repugnet: quam & nos sequendam putamus cum D. Sprengero *in Inst. Jur. publ. An & in numerum p. 48.*



p. 160.

Assessorum Camerae assumi queant? itidem disceptatur. Dn. Schütz *l.c.* de moderna consuetudine, eos in Camera admitti, ait. Sed hæc dictio ambigua est, nec tantum de Assessoratu, sed & procuratorio aut Advocati munere intelligi potest. Novissime Jo. Deikherr *specim. de reb. Cameral.* eos disertè excludit per *Ord. Cam. de anno 1507. pr.* quæ quidem Doctores aut Licentiatos requirit, quinam autem Licentiatum intelligantur, non explicat. Alii pro hac sententia allegant etiam *Ordin. Cam. de anno 1555. p. 1. t. 3. § 2. ibi: Der Rechten gelährt und gewürdigt / &c.* quæ tamen verba æquè Licentiatum non promotum accommodari possunt. Nos *ἐπέρομεν* & legali definitioni rem committimus.

p. 1. c. 16.

XIV. Sequitur ut exponamus, quinam habeant jus conferendi dignitates academicas. Nimirum non Imperator tantum Romanus, quem totius mundi Dominum, unicumque ut aliarum, ita & hujus dignitatis distributorem dispensatoremque ex veteribus affirmarunt plurimi, sed omnes, quibus *τὸ κρείον* competit in sua Republica, quæcunque tandem ea sit. In Imperio Germanico, uti fundatio vel saltem confirmatio Academiae, ita & jus conferendi gradus academicos à solo Imperatore dependet, Ejusdemque reservatis annumeratur à præclaris Jurispublici Scriptoribus, Bœclero, Lampadio, nec ipso Hippol. à Lap. diversum sentiente, *dissert. de Rat. Stat. in Imp. R-Germ.*

§. 8. 10.

XV. Exercet autem hoc jus suum Imperator vel mediatè vel immediatè. Mediatè per alios quibus hanc potestatem concessit. Immediatè, quando ipse Doctores creat, quod tamen non nisi rarissimè fieri, atque unum tantum hujus renunciationis exemplum sibi notum esse, testatur Limn. *Jur. publ.* Sive autem hoc sive priori modo alicui conferantur insignia doctoralia, perinde est, iisdemque creatus ab Imperatore ipso fruitur privilegiis & juribus, quibus is qui ab Academia, utut

§. 75, 86. &
166.

dissentiat *Walther. cit. tr.*

§. 2, 32.

XVI. Sunt autem illi, qui ex Imperatoria indulgentia honores doctorales aliis distribuunt, vel Archiduces Austriae, vel Comites Palatini, *Kaiserliche Hoff-Pfalzgrafen* vel Collegia in Academiae. Privilegium Archiducibus Austriae ratione hujus juris concessum refert Limn. *Jur. publ.* ubi id notari mere-
tur,



tur, non indistinctè omnium facultatum Doctores creandi licentiam iis concedi, sed Juris tantum Cæsarei, Medicinæ & Philosophiæ. Unde quæri posset, an ideò Doctores Theologiæ & Juris Canonici creare nequeant?

XVII. Eandem Doctores creandi licentiam, amplissimam sanè, exercent Comites Palatini. Plurimi tamen Philosophiæ solùm, Medicinæ & Jurium Doctores renunciandi jus habent, insignia autem doctoralia etiam in theologia conferre, non nisi paucissimis datum esse, tabulæ privilegiorum ostendunt. Disceptari hîc solet, an & in Academiis hoc jus suum exercere queant Comites Palatini? quam quæstionem à pluribus motam video quàm decisam. Thom. Sagittarius de *Comit. Palatin.* cum dubiam eam dixisset & rationibus ex utraque parte subnixam, præter *videbo*, nihil addit. Notat quidem ideò Sagittarium Limnæus, qui tamen nec ipse rem satis videtur decidere: Ait: *non sufficere definitionem generalem, specialem verò suppeditare tenorem cujusq; privilegii.* Sed quid si taceant literæ privilegii? Utique opus esse hoc casu decisione aliqua generali Limnæus fatebitur, sed quam frustra apud ipsum quæsieris. Sunt qui quæstionem expressè negant, quos inter est celebris Lipsiensium Professor Jac. Thomafius in *tabb. jur. publ.* Bechmannus Acad. Salanæ Antecessor *comment. ad A. B. 1. 5.* ubi de Jure Comitum Palatini & Ducis Saxon. vacante Imperio agitur, (quo quidem loco nostræ quæstionis tractationem fortè nemo quæsierit) pro utraque sententia affert argumenta; pro negativa quidem novem, duo tantum pro affirmativa, sed quæ novem illas rationes, exigui sanè momenti, facilè vincant: Ipse litem indecisam relinquit, quamvis in negantium magis quàm affirmantium sententiam videatur inclinare. Ego ita habendum cenleo: Esse ante omnia inspiciendas tabulas Comitivæ, quæ ubi jus hoc non restringunt, videri Comites Palatinos fungi hac in re vice Imperatoris ubique, atque adeò in ipsis etiam Academiis; cur enim nos ad certum locum adstringeremus hanc Palatinorum Comitum facultatem, quam Ipsa Imperatoria Majestas iis concessit illimitatam?

XVIII. Ubicunque verò Doctores creent Comites isti,

B 3

certum



certum est, aliter id fieri non posse, quam adhibitus tribus ad minimum Doctoribus aliis ejusdem facultatis, in qua lauream petit Candidatus, qui creandos Doctores vel Licentiatos legitime prius examinent, & an digni istis honoribus sint, judicent explorentque; nec si factum fuerit, abutitur potestate sua Comes, creatque Doctores indignos privilegiis doctoreis. Diversum est hac in parte privilegium Archiducum Austriae, ubi nulla fit mentio examinis, quod an ideo omitti possit, quaerit & recte decidit Limnaeus.

8, 8, 14.

XIX. Cum ergo tam ab Austriae Archiducibus, quam Comitibus Palatinis non nisi idoneis conferantur, saltem conferri debeant gradus academici, solaque Imperatoria autoritate totum istud nitatur negotium, paribus quoque cum illis, qui ab Academiis renunciatur, gaudebunt privilegiis: ut mirari satis nequeam, quid moverit Viros etiam Clarissimos, ut diversum sentirent de creatis à Comite Palatino, quos Bullatos vulgò dicunt. Etenim malè his Doctores legitime promotos opponunt Speckharius *question. Jur. Casar. Pontif. & Saxon. & nuperus* quidam Jur. publici Scriptor libro *de summa Imper. Roman. potest. circa prof.* Malè in horum creatione substantialia promotionis requisita deficere, idem Speckhan asserit. Quid enim ex his omittitur? non sanè examen, quod ut praemittant Comites Palatini in omnibus diplomatibus seridè eis injungitur. Meræ autem cavillationes sunt, praecedere quidem examen, sed leve, sed perfunctorium, sed clancularium. Reliqua illa quæ in creatione aliàs usurpari solent solennia, nec hinc omitti testis est Sagittarius de *Comit. Palatin.* Et quid si vel maximè omitterentur quædam, an ideo ejusmodi promotio illegitima dicenda esset & nulla? Minimè gentium. Solennitates enim istæ, abstracta omni lege & jussu Imperatoris, de substantia Doctorum aut actus illius doctoralis non sunt, ergo ubi expressè non jubentur adhiberi, ommissio quoque earum actum aliàs legitimum vitiare non potest. At verò, quando Palatinus Comes alicui insignia doctoralia vult conferre, jubetur tantum ut id faciat praemisso diligenti examine, solennitatum autem nulla planè fit mentio; cum è contrario Academiis non aliter concessa sit facultas

cent. 1.

q. 22.

c. 13, §. 10.

th. 40.

eultas creandi Dd. quàm adhibitis, præter examen, solennitatibus & ritu in aliis Universitatibus observari solitis. Neque id novum est, ut aliquando & regulariter actus aliquis non nisi intervenientibus certis quibusdam requisitis & solennibus, inter quasdam tamen personas etiam absque iis possit celebrari, pari tamen utrobique effectu, id quod exemplis demonstratu esset facilimè, si res per se nota ampliori declaratione indigeret.

XX. Sed excluduntur ab Assessoria dignitate in Camera Spirensi Doctores bullati, Jos. Nolden *de Nobilit.* cui suffragatur Jo. Deckherr *Specim. Comment. de Reb. Cameral.* non ita pridem edito: quæ ergò paria jura cum aliis habebunt & privilegia? Fateor multo deterioris esse conditionis Bullatos, modò tam facilè probari possit illa assertio, ac Deckherus quidem putant & Nolden. Cùm verò difficilimum id mihi videatur, nondum liquet cur Bullati ab illustri illa dignitate sint excludendi. Nec enim ullam quæ id suadeat adducunt rationem, nec alleg. textus Ord. Camer. p. 1. 2. 3. §. Desgleichen sollen etc. quicquam probat, quod vel obiter eum inspicienti patebit. Otiosæ igitur sunt quæstiones, an per dispensationem aliquando creatus à Comite Palatino admitti possit? an unquam dispensatum sit? apud Deckherr. Quid de Bachovii aliorumque ratiocinationibus, quibus à reliquorum Doctorum juribus & prærogativis arcere intendunt Bullatos, sit sentiendum, dicemus data occasione in ipso conflictu. Illud addimus, quod alicubi Bœclerus de creatis Dd. immediatè ab Imperatore, ait, nos verò de Bullatis pari ratione pronunciare possumus: *Opinionem interdum apud homines nullis legibus infringi posse, quanquam Doctoribus ita creatis quoad effectus juris id nocere non possit.*

l. c.

XXI. Tandem Dd. creandi facultas concessa quoque est Academiis, aliis quidem plenissima, ut in omnibus facultatibus Doctores renunciare queant: aliis minus plena, ut vel Magistros tantùm & Philosophiæ Baccalaureos, cujus exempla olim erant Academiae Argentinensis & Althorphina, vel possint quidem etiam superiorum facultatum creare Dd., sed Jurium tantùm & Medicinæ, non Theologiæ, qualis hodiernum est Althorphina academia.

XXII.



XXII. Controverti h. solet 1. An etiam illi pro Dd. legitime promoti sint habendi, qui in Academia à Pontifice non confirmata creati sunt? 2. An qui in una examinatus & licentiam consecutus est, in alia insignia doctoralia possit consequi? 3. An Professor, qui ipse Doctoris titulo præditus non est, alii nihilominus lauream doctoralem conferre possit? De posteriore hac, multum disceptata inter Tubingenses Professores Besoldum & Lansium, ut ὄρεγον πρότερον mentem nostram exponamus prius, consuetudines & statuta cujusque universitatis ante omnia inspicienda, his verò deficientibus etiam non Doctorem aliis Doctoratus gradum nihilominus conferre posse, existimamus, quia non ipse Promotor proprio, sed totius Universitatis, cui hæc facultas à summo Principe est concessa, nomine id peragit, vide ex asse nobis consentientem Dn. Schüz, Academ. hujus Cancellarium quondam Magnificum in *Coll. publ. de S. R. R.* Secundam quæstionem negativè decidunt Doctores communiter, desumpta à causæ continentia ratione. v. *Mindan. de Contin. Caus.* nisi Universitas ubi examinatus est Doctorandus consenserit, quod quamvis rarò, nonnunquam tamen fieri solere, sui ipsius exemplo probat H. Hermes in *fasc. Jur. publ.* Quam verò primò loco posuimus quæstionem negabunt procul dubio Romani Pontificis affectæ omnes, qui vel in solidum jus erigendi Academies, vel saltem erectas confirmandi eidem adscribunt; sed aliud longè ostenderunt pridem Orthodoxi tum Theologi, tum Politici. Quid enim Romano Præsuli in alieno territorio juris, cui in suo etiam legitimam potestatem negant? & quæcunque tandem afferantur exempla Academiarum à Pontifice vel institutarum, vel confirmatarum, non nisi facta nobis exhibent; quod autem valeant, aliisque pares habeantur, id non potestati Papæ, quam nullam penitus h. agnoscimus, sed vel expresso, vel tacito Imperatoris consensui & confirmationi accepto ferendum est. Jung *Gisen. vit. acad.* Tantùm de personis conferentibus, nunc de iis quibus conferri possunt debentque academici gradus.

XXIII. Cùm enim ad salutem Reip. non minimum afferat momentum, sicut omnium honorum ita & academicorum collatio,

2, l. 10. 2.

c. 5. n. 30.

c. 33. n. 155.

collatio, utique singularis in eo esse debet cura eorum, quorum arbitrio res hæc est commissa, ut non nisi bene meritis & dignis honores isti conferantur. *Γκαρότης* autem illa s. aptitudo æstimatur, tum ex morum vitæque honestate, tum ex Candidati eruditione & scientia*. Vi primi requisiti excluduntur omnes macula aliqua honoris & infamia notati. Maculæ autem istæ contrahuntur vel propria culpa, vel aliena. Illæ in primis huc pertinent, & generali *d. l. 2.* decisione continentur. Procul dubio autem ex illorum, quos propria turpitudine inquinat, numero sunt & Judæi, à doctorali dignitate ideò penitus arcendi, utut in contrarium inclinare videatur Franekeranus J Crus Jo. Jac. Wissenbach *Comment. ad Cod.** & aliud sit receptum quoad Doctoratum Medicinæ moribus Italiæ, ubi sine discrimine creantur Doctores sive Christiani sint, sive infames imperitque Judæi, non sine insigni dehonestamento tam nobilis & egregiæ dignitatis. Non attingam nunc exempla ad ludibrium & opprobrium ejusmodi academiæ valitura, res per se nota est, & omnium oculis exposita.

XXIV. Aliena quoque culpa contractæ maculæ obicem nonnunquam ponunt dignitatibus. Ita, si secundum rigorem Juris Rom. res foret decidenda, filii ejus, qui læsæ Majestatis reus factus est, uti ab aliis omnibus, ita & academicis honoribus excluduntur, per notissimam Arcadii & Honorii constitutionem in *l. quisquis §. C. ad L. Jul. Majest.* de qua multa dicere nunc nihil attinet. Eadem ratione nec spurios admittendos esse, plerique statuunt, allegant etiam rationes pro hac sententia non omninò nullas. Sed cum ad alias, etiam summas, quæ ecclesiasticas, quæ politicas dignitates spurios non rarò esse admissos, multis eam in rem conductis exemplis ostendat Gabr. Palæottus *tr. de noth. & spuris*, nec tanti sint quæ contra eos afferuntur argumenta, ut nihil prorsus iis reponi possit, nondum video, cur ab academicis dignitatibus penitus sint arcendi, quos non sua sed parentum culpa miseros effecit; Certè in tantum non obstabit levis illa macula, quin facilius spurius Doctor, quàm asinus homo fieri possit, quod negat Fr. Vivius apud Walther. risu potius quàm confutatione dignus. Diversæ tn.

C

hac

* l. 7. C. de Prof. v. l. 2. c. de dignit.

l ult. C. de Jud. & Cælic. arg. auth. Gazaros C. de hæ. & Man. * r. de Jud. & Cælic. §. 6.

c. ult.

§. 20.

hac in re sunt statuta & consuetudines Academi-
 arum. Aliæ ne-
 minem admittunt, nisi de cujus legitima nativitate ante constat,
 qualis est Salisburgensis, Basileensis, aliæque, de quibus testa-
 tur H. Hermes *in fasc. Jur. publ.* Aliæ, si Candidatus virtute &
 doctrina præcellat, in natales ejus non adeò curiosè inquirunt,
 quod de Tubingensi notat Lansius *dissert. de Academ.* Opti-
 mum erit, si Limnæi consilium sequatur ejusmodi Candidatus,
 & à Comite Palatino aliove eam facultatem habente, legitima-
 tionem impetret, ita enim natalium defectu cessante, ipsa quo-
 que cessabit macula; quanquam etiam absque illegitimitatis
 dispensatione spurios ad dignitatem doctoralem evehi posse,
 sentiat Bened. Ægid. Lusitanus ap. Besoldum *dissert. de Acad.*
 cui & ipse videtur accedere, ratione insufficienti prorsus & in-
 firma.

XXV. De Carnificibus etiam & lictoribus quandoque
 disceptatur, an adeò inhonesto fungantur munere, ut filii eo-
 rum à dignitate doctorali ideò sint arcendi? Quanquam verò
 moribus hodiernis sordidum Carnificum vitæ genus, ipsi etiam
 Carnifices propterea infimæ & abjectissimæ sortis, imò infami-
 bus personis passim assimilentur; nescio tamen, an non vulgum
 magis sapiant mores illi, quàm justitiæ, cujus utique ministri &
 carnifices sunt, congruant. Necessarii enim sunt in Rep. qui la-
 ram in facinorosos sententiam exequantur, quâ in re, cum ope-
 ram suam Magistratui præstent Carnifices, non apparet, cur in-
 fames aut impii hoc nomine censendi, multò minus cur fi-
 lii eorum ab honoribus doctoralibus prorsus sint repellendi?
 Sed fortè hîc quid dandum opinioni hominum.

XXVI. Alterum, ex quo idoneus quis judicatur ad ca-
 pessendum gradum academicum, diximus esse eruditionem &
 scientiam, hanc enim de substantia Doctoris esse docent omnes.
 Quanta autem & qualis esse debeat Candidati eruditio, ut mul-
 tis explicemus, locus hic non patitur, nec nostrum id est; no-
 rint id optimè, quibus hâc de re judicandi potestas à Principe
 facta est. Et hæc hæc hactenus de requisitis illis, quæ si adsunt, ad-
 est quoque simul aptitudo illa, sine qua gradus academici ne-
 mini conferri aut possunt aut debent.

XXVII.

XXVII. Id addimus, an absens, qui Licentiam jam ante est consecutus, possit Doctor renunciari, & per Procuratorem honores impetrare? Negat Besoldus *dissert. de Acad. & th. pr. voc. Doctor*, sed rationibus non adeò momentosis. Nos, cum absentes æquè ac præsentés quotidie creati videamus, nec ullum prægnans argumentum contra receptum hætenus morem ostensum adhuc sit, consuetudinem sequemur & defendemus. Nec opus hîc esse arbitramur legali & Imperatoria definitione, quam optat Besoldus, cum cujuslibet Academiae statuta & consuetudines meritò pro lege habeantur.

l. c.

XXVIII. Esset nunc agendum de Doctorum forma, & in quonam formalis eorum consistat ratio ostendendum, si receptæ & quam hætenus secuti sumus, causarum methodo strictè inhærere vellemus; sed cum res morales & juridicæ accurrationem philosophicam non ubique patiantur, de modo creandi Doctores, ejus loco quædam hic notabimus. Modus autem ille pro diversitate eorum, qui creant Doctores & ipse diversus est. Summum enim Principem ad observanda omnia illa solennia, quæ alii in renunciatione Doctorum tenentur adhibere, velle adstringere, putidum fuerit. Nec examen quidem necessariò in tali creatione requiri, si quis dixerit, facile me habebit assentientem. Sed quid de Comitibus Palatinis, an illi etiam, absque solennitatibus aliàs consuetis, doctoralem lauream alicui conferre queunt? Ita videtur, cum nullam solennitatum illarum, & necessariæ earum usurpationis, in literis comitivæ, quas mihi quidem inspicere licuit, mentionem factam deprehenderim. Quid usus introduxerit, & an nihilominus solennes illos ritus in Academiis receptos adhibere soleant Palatini Comites, mihi certò non constat. Examen verò, cum expressè jubeantur præmittere, negligere nequaquam possunt. De Academiis itidem certum est & indubitatum, quod non nisi prævio examine Doctorem creare quenquam possint. Sed id ampliùs hic expressè requiritur, ut id faciant adhibitis solennitatibus & ritu in Academiis aliàs adhiberi solitis, qua de re jam supra dicere antevertimus. In quacunque ergò creatione academica fuerint omissæ, vitiosa illa erit & invalida. Quinam autem sint

C 2

illi



illi ritus, & quid sibi velint, cum omnibus notum sit, & ex publicis passim actibus doctoralibus peti possit, præter necessitatem videtur operosa commentatione eos explicare. Conf. Walther.

C. 21,

XXIX. Illud adhuc notamus, distingui à nonnullis has solennitates in necessarias seu substantiales, & accidentales. Ad illas referunt, cathedram, librum & pileum. Ad has reliquas: bene, an secus, nunc in medio relinquimus. Sanè jocosa illa ratio, quam ex Baldo allegant & exscribunt plurimi, quod & mulieres osculentur, desponsentur & benedicantur, nec tamen doctorentur, rem non conficit, & ridiculus sit, oportet qui in ea fundamentum suæ distinctionis ponit.

XXX. Finis graduum academicorum idem est cum eo quod originem philosophicam supra vocavimus, atque in hoc breviter consistit, ut iis ornati veluti certo quodam & indubitata caractere ab aliis discernantur, & ita habeat Respublica unde de eruditione & meritis cujusque judicium ferre, atque secundum ea certo convenientiq; muneri præficere unumquemque possit. Sed & illud huc pertinet, ut tantis honoribus, laborum in academiis exantlatorum quasi fructu quodam lætati, majori conamine atque diligentia bonorum artium studia sectentur earundem cultores.

XXXI. Sequitur ut videamus de prærogativis & juribus academicis gradibus annexis. Consistunt autem illa partim in antelatione illa & jure προεδρίας, vi cuius, sive in eundo sive sedendo, aliis minus dignis in civili vita præferuntur Doctores; partim etiam in privilegiis hoc nomine competentibus. Ratione præcedentiæ videbimus, quatenus vel sibi invicem, vel aliis mereantur præferri. Priori consideratione, Doctores Theologi sine controversia reliquis hodie præferuntur. Signanter a. dico Doctores, non promiscuè omnes qui tantum sacro huic studio operam navant: id enim ἀτοπον foret & omnibus moribus adversum. Theologos proximè sequuntur Jcti sive Doctores Juris, uti rectissimè quidem, non tamen absque aliorum contradictione ad hanc usque ætatem moribus Germaniæ est observatum. Sunt enim è Medicorum numero, qui sui ordinis

nis hominibus locum hunc vindicare conantur, rationibus non adeo ponderosis, quas cum passim dilutas videre liceat (conf. Walther.) nos, ne vanæ ambitionis accusari queamus, operosi §.85. non erimus vel in earum refutatione, vel in afferendis aliis pro stabilienda Jctorum præcedentia, ab omni ætatis observantia (quam in præcedentiæ negotio maximum habere momentum, illustribus exemplis ostendit Freinshemius *diatrib. de preced.* 2, 20. *Elect. & Cardinal.*) abunde hæcenus iis asserta. Tertium itaque locum tenent Medici: & denique quartum Philosophi, quibus non de consuetudine tantum sed & de jure locum hunc assignatum arbitramur, secus ac sentit Scheurle *in dissert. pol.* 4, 34.

XXXII. Posteriori consideratione, certum est omnibus plebejæ fortis hominibus, & mercatoribus quoque longè anteferendos esse Doctores, quod uti nemo facilè negabit, ita amplius fortassis constabit ex iis quæ infra de contrariis graduum academicorum dicentur. Id verò acriter disceptatur (1.) an Nobilibus? (2.) an Militibus quoque anteferendi sint? Et prioris quidem quæstionis, quæ capitalis est in hac materia, momenta ut rectius percipiantur, præmittenda nobilis illa & præjudicialis, an Doctores sint nobiles? In cujus tractatione mirè philosophari multos videas. Pro negativa nemo est, qui actius pugnet, quàm Nobilis quidam Megapolitanus G. V. H. sive Gottlieb von Haagen is sit, sive alius quicumque *discurs. de natura & statu vera Nobilitatis & Doctoratus Juris Hamburgi* 1620. edito, ubi professa opera Doctorum nobilitatem impugnat, ita tamen ut non tam suam sententiam adstruxerit, quam destruxerit contrariam. Affirmativa quanquam communis sit apud Jctos, non tamen ita facilè probari eam ac asseri, deprehendet, qui rationes eorum paulò accuratius excusserit. Nos verè quidem Nobiles Doctores, eorumque nobilitatem veram esse nobilitatem, non dubitamus affirmare. Distinguimus tamen inter nobilitatem genericam, & specificam. Generica acceptione Nobiles sunt non illi tantum, qui in specie Nobiles aliàs vocantur, sed & ipsi Reges, Principes, Comites, Barones. Specifico sensu Nobiles vocamus eos tantum qui proximo à Baronibus loco collocari, & vulgò *Edelleut* appellari solent.

Non hoc, sed posteriori modo Doctores Nobiles sunt. Limnæus & Carpzovius, quos h. secuti sumus, ita exprimunt: *Ein Doctor ist Edel / aber kein Edelman.* Et hac observata distinctione, omnes Megapolitani objectiones nullo negotio dilui possunt, ut peculiaris refutatio supervacua futura sit.

XXXIII. Evicto ergo Doctores Nobiles esse, videndum nunc foret, utri ordini debeat præcedentia? si talem crederemus hanc quæstionem quæ in cathedra academica multum disceptari debeat. Notum est quantum deferri soleat in ejusmodi negotiis consuetudini & longæ possessioni. Nec minus constat, quo loco in usu civilis vitæ habeantur hodie Doctores, quo Nobiles, quibus præcedentia fortè ubique & sine contradictione tribuitur præ Doctoribus. Loquor autem de Doctoribus quæ talibus, nudè, sine ullis circumstantiis aut adjunctis aliis dignitatibus consideratis. Quid enim si Doctor specialiter insuper nobilitatus sit, aut splendido in aula alicujus Principis fungatur munere? sanè hunc ego omnibus aliis Nobilibus quæ talibus non dubito præferre: nec tantum eum, qui cum jam ante genere Nobilis esset, post Ordini Doctorum est associatus, sed & eum qui post collatam doctorem dignitatem à Principe demum nobilitatem est consecutus, par enim utrobique militat ratio: *dignitas dignitati addita auget dignitatē & quædam præminentiam tribuit.* Diversitatem quidem aliquam h. ostendere conatur Nobilis Megapolitanus, sed adeo feliciter, ut non una contradictione se ipsum involvat. Non merentur rationes, quas adfert, adscribi, multò minus ut refutatione earum disputationem nostram extendamus. Id verò sine ingratitude nota tacere non possumus, grates nos ei debere pro adductione *l. i. c. de Consul.* quæ si ipsius sententiam non omnino destruit, saltem nostram egregie firmat.

XXXIV. De altera quæstione, an Militibus præferendi sint Doctores? extant peculiare tractatus, Christoph. Lanfranchini, Signoroli de Homodeis, Augustini Sueffani, citati Jac. Gothofredo *diatrib. de jure preced.* Communiter distinguunt inter actus ubi de militaribus negotiis, & eos quibus de aliis quàm quæ ad militiam spectant, agitur. In his Doctores præferunt,

ferunt, in illis milites. Alii distinguunt inter tempora, & bellica quidem tempestate militibus, pacis verò tempore Doctoribus præcedentiam tribuunt. Sed neutra sententia accuratè rem decidere videtur. Hageni verò opinionem, quæ ab utraque diversa est, ut amplectar, nondum à me possum impetrare: nec argumenta quæ adfert tanti sunt, ut cerebellum capite Medusæ mirabilius habere dicendus sit, qui illis non movetur. Ego in hoc sententiarum divortio uti certissimum arbitror, gregarios milites nemini Doctorum præferendos, ita quoad reliquos, quos Officiales vocant, controversiam hanc à privatis difficulter definiri posse, sed cuilibet Magistratui hujus rei arbitrium relinqui tutissimum judico.

XXXV. Diximus de jure *αποεδρίας*, agendum nunc de Dd. privilegiis, in quorum tractatione nos eò erimus breviores, quòd latius aliorum sese exeruit industria: potiora ergo tantum recensimus, & eo quidem ordine, ne planè *αμείδωδοι* videamur, ut exhibeamus 1. privilegia circa jus personarum, 2. circa jus rerum, 3. ea quæ circa actiones Doctoribus competunt, secuti Waltherum *d. tr.*

c. 15. 16. 17.

XXXVI. Ad jus personarum referro I. Facultatem docendi, commentandi, & de jure respondendi, quam multis explicavit Walther. II. Referunt huc immunitatem à muneribus personalibus, per *l. 6. C. de Prof. & Med.* quæ tamè non nisi extra necessitatis casum locum habere potest: Etenim si hostis instet, aut similis ingruat gravior quædam necessitas, neutiquam excusabuntur Doctores, cum nec Clerici quidem immunitatem suam tunc allegare queant. In quacunque enim privilegiorum concessione, tacitam semper publicæ utilitatis & necessitatis summam legem excepisse censetur Legislator. Conf.

l. c.

c. 2. x. de
Immunit.
Eccles.

Boecler. *disquisit. de Dom. Em. in comment. Grotian.* Pufendorf. *oper. major. de I. N. & G.* III. Quod Doctores quovis tempore arma licitè gestare possint, quam in rem allegant. *l. ult. C. de preposit. sacri lubic.* Sed directò inde hanc assertionem deduci non posse, præterquam quòd de diversissimo subjecto agat, ostendunt ea quæ de legis hujus sententia pridem notavit b. D. Tabor *armamentar. Justin.* Quicquid verò de lege illa sit, hodie

p. 30.
s. 4, 32.p. 123. 124.
128. & 148.

dubi-



c. 6.
p. 61. seqq.

6, 6, 44.

R. I. 1500.
t. 22. von
Überflüß-
igkeit der
Kleyder
§. 5. seqq.
Ord. pol.
1530. t. 15.
von Do-
ctorn.
1548. t. 12.
1577. t. 12.

dubitari amplius non debet, armorum gestationem Doctoribus esse concessam, si non expressè, saltem tacitè per longum usum & inveteratam consuetudinem, de qua testatur Hornicæus *tr. de Postis*. Non obstant quæ pro adimendo Doctoribus armorum usu iterum disputat Nobilis Megapolitanus *cit. discurs.* talia enim sunt omnia, ut vel sola inter gladium honoris & officii distinctione solvi possint. IV. & superiori quodammodo affine est privilegium, quòd liceat Doctoribus, etiam sine speciali Imperatoris permisso, insignia cum apertis galeis, *Wap-pen mit offenem Helm und Schild*/ usurpare, modo illa usurpatio non sit fraudulenta, & ad æmulationem aliorum comparata. v. *Limn.* Sed turbat h. iterum Doctores G. V. H. p. 63. *usque ad fin. discurs.* (adeo sc. proposito suo vel ad ultimam lineam usque tenaciter inhæret perpetuus Doctorum adversarius) & triplici ratione privilegium hoc eripere eis conatur. Sed conatur. Prima enim & secunda leviores sunt quàm ut operosè confutari mereantur. Tertia verò, quamvis colore non careat, est tamen ad illam quoque responsio in mundo. Sed institutum nostrum non patitur multis hac in re morari. Quinto loco numeramus privilegia quæ ratione vestimentorum, cùm publicis Imperii Legibus, tùm nonnullorum locorum statutis concessa sunt Doctoribus. Ea autem quamvis splendida satis sint, non ausim tamen asserere, paria, quæ communis, aut majora etiam, quæ quorundam est sententia, esse iis privilegiis quæ Nobilibus hac ratione per constitutiones Imperii sunt concessa: malo que vel soli hic ad stipulari Hageno, quàm communissimam, magnis etiam Viris probatam, sequi opinionem.

XXXVII. Circa jus rerum illustre est Doctorum privilegium, vi cuius ab oneribus realibus, solutione sc. vectigalium, gabellarum, collectarum, hospitationibus militum, sunt immunes, quod probant Interpretes ex famosissima *l. 6. C. de Prof. & Med.* Equidem quod militum hospitationem attinet, certissimum est id privilegium, (modò illud verum sit quod per Doctores & Professores in Jure civili etiam Doctores non docentes sint intelligendi, de quo post dicetur) nec disputari debet, cùm non tantùm in *cit. l.* expressissimis verbis ab ea sint exempti,



exempti, sed hodierna in super praxis id ipsum privilegium confirmet, quam in rem notari meretur præjudicium apud Hornicæum *cit. tr. de postis*. Quid verò de cæteris oneribus realibus, *c. 6. p. 234.* an ad ea quoque privilegium hoc sit extendendum? difficilima *seq.* est quæstio, pro qua ab utraque parte non desunt ponderosæ rationes. Sed affirmativam judicamus æquior, eamque defendere conabimur. Secundò in hanc privilegiorum classem pertinet, quòd sumptus quos pater ad consequendum gradum academicum fecit, filius non teneatur conferre. Quid verò *l. 1. §. 16. ff. de Collat.* si adhuc debeantur illi sumptus, & pater mortuus sit? In terminis habetur decisio in *cit. l.* scil. non solum onerandum esse eum qui dignitatem meruit, sed commune esse omnium hæredum hoc onus. Consentunt hodierna praxis, vide præjudicia apud Carpzov, & jura patria. *v. Reform. Francof.* *3, II, 17.* *6, 5, 4.*

XXXVIII, Pergimus ad ea privilegia quæ circa actiones sive processum habent Doctores. Processus autem vel civilis est, vel criminalis. De illo priori loco: ubi non multum attendimus ea quæ statim in *pr. cap. 17.* adducit Waltherus, quòd non verbo, sed literis ad judicem debeant citari: quod ad dicendum testimonium vel præstandum juramentum non possunt evocari. 3. Quod si quis teneatur reddere rationem Doctori, ipse Doctorem debeat adire, non contra; sufficiat ea retulisse, cum praxis hodierna ferè ubique sit in contrarium. Illud verò quod quarto loco posuit, Doctorem ad duellum provocatum non teneri comparere, impium est vocare privilegium, cum non magis id nominis mereatur, quàm illud, Doctorem non teneri committere homicidium. Egregium scil. privilegium, quod adeo omnibus hominibus commune est, ut ne volentes quidem ei renunciare valeant sine grandi peccato. Et falsissima est Waltheri sententia: *si velit comparere Doctore, neminem repugnare.* Quasi verò non repugnent tot Imperatorum & Principum edicta duellatorum furorem severissimè coercentia, imò omnia jura. vid. Chiloniensis Professor Sam. Rachelius *tr. de Duellis*. ut tam sollicita cautione, *quod si Doctor aliquis comparuerit, id tamen toti ordini, in cujus favorem privilegium sit introductum, præjudicare non posse, quam Waltherus*

D

Subj-



subjicit, opus non videatur. Alia quæ idem hic addit privilegia, consultò præterimus. Id verò addi meretur, an Doctoribus competat beneficium competentia? Plurimi affirmant, deducto argumento à militibus sagatis, quibus id est tributum *l. 6. pr. § l. 18. ff. de Re Jud. ad togatos arg. l. 14. C. de Adv. divers. Judicior.* sed repugnant ipsa *verbacit. l. 6. § 18.* quæ ad armatam militiam expressè id restringunt, nec ergo nos contra mentem legis aliò id extendimus, secuti Illustrem Strauchium Doctorem nostrum nunquam sine veneratione nominandum, *in dissert. ad Jus Justin.* Aliquid tamen moribus hodiernis pingui huic beneficio tribuendum, docet præjudicium apud Carpovium. *conf. omn. Jus ἐξοχώτατ* Tubingensis Dn. Lauterbach *diff. Inaug. de benef. compet.* In Belgio vero ab aula id recessisse, colligi potest ex iis quæ tradit Gerh. Feltman. *de Juram. perhorrescentia.*

XXXIX. Quoad criminalia, occurrit primò tractatio de incarceratione, an & ea in Dd. personis locum habeat? Incarceratio autem vel ob causas civiles (quam ob affinitatem nolimus ab altera sejungere) fit, vel ob delicta. Quod priorem attinet, facilè se expedire possunt, qui Doctoribus beneficium competentia tribuunt, si de civili debito sermo fit, illico enim hoc suum beneficium allegabunt Doctores. Sed quid de hoc sit sentiendum, diximus *§. præced.* Cæterùm de incarceratione hac ita sentimus, non facilè eam decernendam esse Doctoribus tanquam personis in egregia dignitate constitutis, à quibus omnis fraus abesse censetur, quique præ aliis boni honestique præsumuntur. *conf. Walther.* si tamen dolus aliquis appareat, puta de fuga suspecti sint, bona sua in fraudem Creditorum vel alienaverint vel occultaverint, nulla immunitate eos gaudere, sed æquè ac alios in carcerem conjici posse putamus, ad Carpov. & Feltman. & huc fortè restringenda est assertio Dn. ab Andlern *in Jurispr. publ. & priv.* Quid si mercaturam exercent aut alia à professione sua aliena negotia tractent Doctores? Nihilominus privilegium hoc eis competere asserit Feltman. Dissent. Carpov. Ab incarceratione quæ fit ob delicta, similiter liberos pronunciant Doctores plurimi Interpretum

28, 11.
1, 32, 18.
ib. 32.
c. 19, §. 18.
& 19,

§. 120.
2, 22, 18.
l. c.
1, 2, 2, 27.
l. c.

terpretum, per l. 17. C. de dignit. & l. 1. ff. de Custod. & exhib. reor. quod etiam in delictis quæ capitis pœnam merentur, verum esse scribit Besoldus. Nescio an satis bene. Sanè l. 17. hanc in rem alleg. id non probat. Minus adhuc l. 1. de Cust. & exhib. reor. quæ contrariam potius sententiam firmat. Id tamen Doctorum dignitati tribuendum putarim, ne in gravissima & horribilia sæpius concjiciantur vincula, magisque clementiæ quàm severitatis gloriam hac in re sibi commendatam habeant Judices juxta elegantissimnm Marciani monitum.

XL. Incarcerationi affinis est materia de arrestis, à quibus immunitatem itidem sibi vindicant Doctores ex solenni l. 6. C. de Prof. & Med. Sed usum hanc opinionem non observare, quam aliqui scribentium pro se sine jure saltem propalarint, notat D. Mey. tr. de Arrestis.

XLI. Carcerati si delicta non confiteantur, quorum tamen ex sufficientibus indiciis ferè sunt convicti, ad quæstiones rapiuntur & tormenta: ubi rursus immunitatem suam allegant Doctores suffragante communi Interpretum schola, per l. 4. C. ad L. Jul. Maj. & l. 8. C. de question. junct. l. 14. C. de Adv. divers. Judicior. quibus alii addunt l. 10. C. de dignit. & l. 33. C. de decurion. Quamvis autem hoc Doctorum privilegium in citatis textibus expressè non habeatur, utique tamen per bonam consequentiam inde potest deduci: in primis verò egregia est l. 4. C. ad L. Jul. Maj. cujus tamen verba posteriora non totalem hanc esse exemptionem innuunt, quam & praxis tuetur, vide formulam ap. Carpzov. in prax. crim. Cavendum tamen ne confundantur crimina, comunia cum exceptis. In illis quidè Principum indulgentia quosdam exemit: in his verò omnibus æqua conditio, nemoque à tortura immunis est. d. l. 4. conf. summus JCtus b. D. Tabor tract. de tortura.

XLII. Torturam sicuti pœna, si crimen confessus fuerit reus, insequitur, ita privilegio quod à tortura liberat, comòdè subjicimus ea quæ circa ipsas pœnas competunt atque tribui vulgò solent Doctoribus. Ponunt ergo & tanquam generale aliquod reliqua omnia ambitu suo complectens constituunt privilegium: Doctores mitius esse puniendos quàm

l. 11. pr. ff.
de pœn.

8. 103.

3. 118, 86.
seqq.

c. 5. §. 46.

plebejos. Sententia & mens loquentium bona est, à qua non
 diversus sum; malim tamen ego aliis verbis eam exprimi, ne
 aures eorum, qui nullum penitus personarum respectum in
 pœnis habendum existimant, fortè offendamus. Verissimum
 quidem est, non minus ex dignitate personæ ac aliis circum-
 stantiis (quarum usum in hoc articulo latius demonstravit. C. I.
 A.) aliam atque aliam pœnam imponi delinquenti; id verò
 non fit ab qualitate personæ extra delictum consideratam,
 quæ hæctenus objectum justitiæ est tantum per accidens, sed
 ob conditionem illam justitiæ objecto intrinsecam, quæ sicut
 ipsum delictum vel auget vel minuit, ita pœnam quoque ob-
 servato hoc respectu attemperat ut delicto exacte conveniens
 sit. *v. l. 31. ff. ad L. Corn. de fals.* Revera igitur mitior pœna non
 est quæ Doctori, quam quæ plebejo, ob idem utriusque deli-
 ctum infligitur, et si in speciem, abstrahendo à dignitate perso-
 næ, talis videatur, *conf. l. 2. C. ut intra cert. tempus crim. quest.*
term. sed de his latius Moralistæ. Jung. D. Struv. *Syntagm. Ju-*
risspr. Petr. Musæum *tr. de lege civili.* Ex præsupposito illo de
 mitiore pœna infligenda Doctoribus quam plebejis, colligunt:
 quòd in illis locum non habeat solenne brocardicum: qui
 non habet in ære, luat in corpore. Barbof. *locuplet.* 2. quòd
 si fortè capitaliter puniendi sint Doctores, ferro, non laqueo è
 medio tolli debeant, de quibus vide si lubet, Walther.

XLIII. Claudat tractationem de privilegiis quæstio, an
 per Professores & Doctores in Juris Romani corpore intelli-
 etiam queant hodierni Doctores in Academiis non docentes,
 atque ad eòdè privilegia illis inibi tributa, ad hos quoque rectè
 ab Interpretibus extendantur? Equidem quòd solennem illam
l. 6. C. de Prof. & Med. attinet, eam Klockius non tantum de
 Professoribus, sed & aliis Doctoribus, & imprimis Advocatis,
 exaudiendam esse, idque cum usu hodierno convenire, disertè
 tradit *tr. de contribut.* De aliis legibus, inque illis contentis pri-
 vilegiis, fortè idem sentiet. Waltherus sine discrimine omni-
 bus Juris Doctoribus paria largitur privilegia, quin & in ipsa
lege 6. ampliationem hanc contineri, asserere non veretur: de
 quo posteriori tamen meritò dubitamus. Diversa prorsus est
 opinio.

de pœn.
 ab. 10. seqq.

1, 32:
 334. seqq.

10, 31, 1.

§ 125.

c. 5. n. 12:
 seqq.
 § 70.

opinio Ulrici Huberi, Juri Frisi, qui per *Doctores Juris in cit.* l. 6. non alios, nisi qui docendi munere in scholis funguntur, intelligit, omnes verò in foro versantes decretoria sententia excludit, *digress. Justin.* Sed mitior est D. Tabor *tr. de metat.* ubi distinguit inter Doctores in numerum Advocatorum Ordinariorum, aut Consiliariorum Principis, vel Magistratum receptos, & Doctores alios. Illos in *cit.* & voce DOCTORUM intelligi posse, non negat; ad hos verò idem extendi, nec usum, nec juris aut textus rationem admittere ait, allegatque pro hac sententia l. 6. §. 12. de *Excusat.* quæ quidem non nisi à particulari desumptum argumentum potest præbere. Nos quid sentiamus, dicemus paucis. Et id quidem negari nequit, per Doctores, quorum Jus Romanum meminit, neminem posse intelligi, nisi & docendi munus idem sustineat, cum eo tempore academici nostri gradus pari modo nondum fuerint introducti, proindeque de Justinianeis Legibus asseri non potest, quicquam privilegii Doctoribus nostris iis esse concessum; multum autem deberi hac in re, partim auctoritati Juris Romanas leges in gratiam literatorum liberaliter sæpius & benignè interpretantium, partim etiam insecutæ confirmationi Principum, quorum patientia & laudata omnibus æquitate ista Doctorum immunitas sensim in morem trahi cœpta est, ultrò agnosco.

3. 23.
p. 201.

v. Conring. *Antiquit. Acad.*

dissert. 6.

p. 183.

XLIV. Ne autem inania reddantur atque elusoria, quæ de Doctorum statu & privilegiis hæcenus differuimus, proditæ sunt actiones, quibus tueri ea in judicio, & ab insultu adversariorum queant defendere, de quibus nunc agemus; sed ita ut annotatione tantùm summaria & quasi per indicem perstringamus pleraque, quæ latius aliàs dissertari poterant. Tuentur autem Doctores statum suum contra ejus violatores duplici modo. Aut enim super ipso doctoratu movetur controversia, cum quis expressè negat, hunc illumve esse Doctorem; vel saltem eum in dubium vocat: aut doctorem esse fatetur quidem, sed vel debitum inde honorem exhibere detrectat, vel privilegia ejus infringere atque minuere conatur. Si prius, præstò sunt actiones præjudiciales, per quas petit actor, ut talis à Judi-

D 3

ce de-



- ce declaretur, qualem se esse contendit. v. Feltman. *tr. de titul. honor.* Etsi enim ad triplicem illam causam, libertatis, ingenuitatis & legitimitatis, circa quam præjudiciales actiones versari dicuntur §. 13. *f. de action.* status Doctorum accommodari vix possit; nolim tamen ego eò saltem illum §. restringere, & ita hanc agendi viam Doctoribus præcludere. Potius cum Vultejo in *fur. Rom.* asseruerim, tot posse esse actiones præjudiciales, quot modis de statu conditioneve alicujus quæri potest. Quid enim est aliud præjudicialis, quàm de statu hominis actio? Status verò vel publicus est, vel privatus. Ad hunc pertinent quas jam enumeravimus actiones, liberalis, ingenuitatis, & ea, quæ de partu agnoscendo datur. Publicus iterum est vel ecclesiasticus, vel politicus. Ille de personarum ecclesiasticarum jure agit. Ad hunc verò quæstiones de jure Magistratum & subditorum, de jure civitatis & peregrinitatis, de hominum item dignitate, nobilitate, aut obscuritate, & consequenter nostra quoque de academicis gradibus disquisitio referri debent.
1. c. v. Vultej. Cuicumque igitur ex his status sui movetur controversia, is præjudiciali actione eum defendere potest. Diff. Jos. Nolden *tr. de Statu Nobilium*, secutus Rævardum *libr. de præjudiciis*. II. Si quis neget, aliquem esse Doctorem, competit etiam adversus eum remedium ex *L. Diffamari C. de Ingen. manumiss.* quo agit actor ut adversario silentium imponatur, ipse verò Doctor à Judice declaretur. Remedium hoc coram quocunque Judice Ordinario, licet ratione causæ principalis competens non sit, posse intentari, tradit Mev. *in decision.* quod examinare nostrum non est. Id tamen certum est, in Camera Imperiali processum in hac doctorali causa impetrari non posse, uti quidem sentire videtur Waltherus, verb: *Cujusvis dignitatis*, quam in rem allegat Noldenum, sed malè, cum huic non de quavis dignitate, sed nobilitate sermo sit: quanquam & ipse in hoc videatur excedere, quòd promiscuè de Nobilibus loquatur, cum tamen cit. Gailius & Camer. Ordin. expressè requirant diffamatum immediatè Imperio subjectum, quales Nobiles omnes non sunt; quo ipso & promiscua de Nobilibus Noldeni, & de Doctoribus Waltheri assertio ruit. III. Locum etiam hoc casu
- 1, 76.
2, 6.
1. c.
18, 9.
1, 12.
3, 212.
§. 140.
2, 25.
- habet

habet actio injuriarum. *arg. l. 1. §. 2. l. 11. §. ult. ff. de Injur. conf.* 18, 27. seqq.
 Feltman. *de tit. honor.* IV. Competit utile uti possidetis inter- 1, 77, 3, seq.
 dictum ei qui hoc modo in dignitate sua est turbatus. Reddit
 enim Doctori jus suum obscurum, qui controversiam ei circa
 dignitatem suam movet, quo casu rectè interdictum hoc inten-
 tari, ait Menochius *de retin. possess.* add. Walther.

3, 299.

§. 140.

§. 141:

XLV. Si circa privilegia sua turbetur Doctor, com-
 modio rem viam non esse, ait Waltherus, quàm ut citatio ad vi-
 dendum se (adversarium) incidisse in pœnam privilegio infer-
 tam, in Imperiali Camera extrahatur, quod iterum ex Noldeno
 hausit; nimis fortassis securè. Magis consentaneum veritati vi-
 detur, competere hoc casu pro tuitione privilegii conditionem
 ex Lege, vel Constitutione Imperiali, qua privilegium aliquod
 est concessum; Si verò expresso jure id indultum non sit, dabi-
 tur condictio ex consuetudine, D. Brunnem. *Comment. ad ff. tit.*
de Condict. ex Lege, ibique cit. Lauterbach. Utile etiam uti pos-
 sidetis interdictum non videtur inutile, si ita in quasi possessio-
 ne privilegiorum quis turbetur. Tandem si debitus aliquis ho-
 nor externus Doctoribus non exhibeatur, aliquando officium
 Judicis, quandoque etiam actionem injuriarum, vel judicium
 possessorium competere, notat Gail. *in observat.* Jung. Walth.
sepius cit. tract. Et quanquam res exigui momenti videri pote-
 rat, si v. g. in publicis congressibus debitus alicui locus non assi-
 gnetur, ut propterea in foro actio instituenda nequaquam sit;
 aliter tamen est sentiendum. Niti enim jus illud *πρὸς ἐξῆς* non
 ambitionis vanitate, sed partim hoc justitiæ fundamento, quod
 suum cuique tribui jubet; partim etiam in honestatis *καὶ ἐὺκτα-
 μωνίας* observatione fundari, egregiè in *Amœn. Jur. Can.* osten-
 dit Vir maximus Dn. Jo. Strauchius. Hæc de actionibus, qui-
 bus pauca de probatione Doctoratus subjiciemus.

1, 21.

l. c.

ecl. 6. c. 15.
edit. noviss.

XLVI. Probatur doctoratus (1) per testimonium à fa-
 cultate, in qua gradū quis est consecutus, concessum, qui com-
 modissimus & frequentissimus probandi modus est. (2) per
 matriculam cui nomina Doctorum (ita n. malo quàm Candida-
 torum, ut alii) sunt inscripta: pariter sc., ait Walther, ac in casu
 quo dubitatur, num quis sit status Imperii, albo sive matriculæ
 credi-

§. 162.

creditur. Sed multis tricis & difficultatibus involvemus hanc probationem, si eam probationi, quæ ex matricula Imperii desumitur, velimus comparare, cum nemini ignotum sit, quam mirè circa hoc Eridos pomum dissentiant Scriptores Jurispublici. Deficiente utroque hoc probandi modo, locus erit probationi quæ fit per testes, qui actui doctorali interfuerunt: quæ fufius persequitur Mascardus *de probat.* & qui inde sua derivavit Waltherus. In universum autem ad hoc caput debent conferri, quæ in materia Insignium Höpingius, titulorum Feltmannus, in causis Nobilium Noldenus, Comitum verò Palatinorum Mundius, peculiaribus libris circa hunc articulum tradidère.

528. & 544.
§. 166. seqq.

8, 4, 32.
87.

XLVII. Egimus hætenus & consideravimus, quomodo dignitates academicæ acquirantur, & acquisitæ conserventur, dicendum nunc foret, quâ ratione iterum vel amittantur vel obscurentur. Sed cum properandum nobis sit, generalia quædam tantum adducemus, causis specialibus, ob quas gradus academici adimi solent, commodiori occasione reservatis. Notamus autem, eum qui honores ejusmodi iisque adhærentia privilegia & immunitates jus habet conferendi, habere quoque facultatem eosdem iterum auferendi, utique si ipse, in quem dignitas collata fuit, vitiis se maculaverit, atque ita indignum se dignitate reddiderit, quo casu pænæ respectum ista honoris privatio habet; aliàs enim & regulariter, ipsa quidem dignitas tanquam proprium aliquod bonum (quale & academici honores sunt) in civem collata, ipsi pro lubitu conferentis adimi nequit, v. Pufendorf. *J. N. & G.* Carpzov. *decis.* tum quod publicè inter sit, dignitates ejusmodi ob bene merita civibus concessas esse perennes; tum quod, præter casus ubi ipsi delinquentes pænæ huic locum faciant, vix unquam possit incidere tempus, quo abrogatis gradibus academicis vel in totum, vel quoad certa tantum subjecta, opus sit Reipublicæ. Jura verò & quæ academicos honores comitari solent, ab excubiis, vectigalibus, aliisque s. personalibus sive realibus oneribus, immunitates, cum quiescere ad tempus postulet nonnunquam necessitas & publica salus, quin aliquam subire mutationem, aut, ubi id necessum

cessum fuerit, planè tolli possint, dubitari non debet: hoc enim casu auctoritatem usumque domini eminentis meritò agnoscimus. Conf. Bœcler. *disquisit. de Dom. Emin. in Comment. Grot.* p. 109. seqq.

XLVIII. Potest ergò Magistratus, postulante publica utilitate, Doctoribus non tantùm adimere sua privilegia, sed & eo, quem diximus, casu dignitate sua eos planè exuere. Nemini privatorum id est concessum. An nec ipsi, in quem dignitas Doctorea est collata? Sanè multi hodiè sibi ademptum vellet Doctoris Licentiativè titulum, quibus oneri & vel ipsa nomina illa fastidio sunt. Affirmandum videbatur, eò quòd quilibet favori pro se introducto possit renunciare, per vulgata: quidni ergò & Doctores? Sed distinctius agendum est. Si quaeratur, an is, cui insignia doctoralia sunt collata, dignitatem istam adeò abrogare sibi possit, ut posthac Doctor amplius non sit? negamus quaestionem: æquè enim id impossibile judicamus, ac ^{l. 19. §. 1. ff. de A. vel A. p.} ut quis titulum possessionis suæ sibi mutet, cum veritas rei sola animi destinatione à nemine mutari queat. Privilegiis verò & juribus gradui academico annexis, quin renunciare possit quilibet, non dubitamus, ob regulam generalem; quam enim alii apud Barbosam ei subjiciunt limitationem: non procedere re- ^{6, 11, 4.} regulam, si aliquid constitutum sit, non tam in favorem privatum personæ, quàm publicum ordinis, meritò cum Cujacio ibid. cit. rejicimus, quia Doctor renuncians non infringit jus cœterorum Doctorum, sed suum. Et frustraneus videtur metus Barbosæ, hoc tandem cessurum in præjudicium totius ordinis, si omnibus & singulis concedatur licentia renunciandi. Et enim paucos admodum, aut fortè neminem usurum hac licentia, omninò mihi persuasum est; & verò demus, renunciaturos quosdam, an inde universo Ordini creabitur præjudicium? ego non dixerim. Id quidem verissimum est, primariò & directè ob utilitatem publicam personis quibusdam indulta, arbitrio & pactioibus privatorum, etiam eorum, quibus concessa sunt, non subjacere; sed neutiquam eo referri possunt privilegia Doctorum, quæ proximè & primariò in favorem privatorum, remotè demum, & non nisi per indirectum ob publicam utilitatem sunt constituta. ^{l. 38. ff. de Pact.}

XLIX. Finem imponemus nostræ dissertationi, si unicam addiderimus quæstionem: an amissa dignitate doctorali, ipsa quoque privilegia eidem annexa amissa, censeantur? Discrepant Doctores: plurimi tamen affirmant, amitti cum dignitate privilegia. Unus Richter, & fortè pauci alii, in practicis suis decisionibus contrarium statuit, allegatque pro sua sententiâ præjudicium Jctorum Jenensium. Sed malè eum applicasse præjudicium, quod de eo casu loquitur, ubi diu post amissam dignitatem adhuc in possessione beneficii quis est, in privatis suis lectionibus non ita pridem nobis ostendit Illustris noster Strauchius. Verior erga manet sententia affirmantium, quam tuebimur.

S. N. S. L. H. & G.

I. O. S.



Corollaria.

I.

Titius bibliopola, artis suæ ferè imperitus, in Academiam venit, libros, quos habebat grandi copia & insignes, venales exponit, pretio satis tolerabili & vili. Nactus ergò tum è studiosis, tum Viris aliis in Academia illa degentibus, qui certatim emitabant. Fermè post annum, aut si quid excurrebat, & libris suis erat privatus, & quam inde redegerat, pecunia. Nihil restabat misero, unde se familiamque sustentaret, nisi pauci quidam, & qui, venditis optimis, emptores reperire nequiverant, libelli. Hi circumferuntur passim, vilissimoque etiam pretio exhibentur venales. At cum ne sic quidem vendi omnes possent,

fent, offeruntur mercatoribus, qui amiciendis involvendisque mercibus chartas emebant, pretio omnium vilissimo. Id ubi videbant ex studiosis nonnulli, indignè ferentes tam vili usu consumi libros, adeunt bibliopolam, eosque, qui supererant, emunt, pretio quidem nonnunquam viliori quam primi emptores, sed libros etiam vilissimos, & quos nunquam majori fuissent empturi, usui suo ferè nulli inservientes. Nata inde disputatio: an emptores hi omnium postremi, salvâ conscientia, tam exiguo pretio libros sibi potuerint comparare? Consideratis probè omnibus circumstantiis, non dubitamus affirmare.

II.

Indigna est praxeos juridicæ nomine notitia illa, quæ circa forenses processum ordinemque judicarium versatur, quamque scribæ etiam & amanuenses facillè condiscere queunt.

III.

Advocatus, qui lege aliqua Justinianeâ nititur, intentionem suam habet fundatam, etsi legis illius observantiam non probet.

IV.

Non laborant in vanum, ut multis visum, qui de conciliatione §. thesauros J. de R. D. cum l. 3. §. 10. ff. de Jure fisci, solliciti sunt. Jam enim allatæ sunt conciliandi rationes à variis variæ, è quibus eam qua Illustris Strauchius noster utitur differt. VI. aph. 32. defendendam suscipimus, quicquid contra arguetur Bachovius.

V.

Non omnia, quæ in Corpore Juris Justinianeî continentur, leges sunt, etsi allegari hoc nomine soleant.

VI. Ini-

Iniquos multos nacta est censors Justinianea Jurisprudencia, quos inter Grotiū etiam numerant nonnulli. Sed fallor, an aliter judicabit, qui legerit Ejus epist. 106. ad Gallos. Et utut iniquior nihilominus videatur nonnunquam Romanis Legibus, est tamen ubi absolvi non raro queat.



NE pestilens rursum malorum spiritus,
 Nostro Lyceo admissus, allinat suis
 Contagiis, mores proborum, deditos
 Studiis honestis, tale contubernium
 Vitare properans, lucubrationibus,
ITERE, virtutumque studio exercite,
 Nos præmia tibi poscis, ante debita.
 Habe, euge! Perdet hunc, qui cōscientiam,
 Probando pravos, & premendo innoxios,
 Facit ream, **DEUS**. Favere perditis,
 Bibacibus, libidinisque victimis,
 Est constuprare mentem alieno crimine.

*Juris Utriusq; Candidato longè dignissimo
 ita applaudit*

Jo. Strauchius, D.

F I N I S.




WMA


ULB Halle

3

003 932 508







Q. D. B. V. 23.
DISPUTATIO INAUGURALIS 16
De 1678,5
GRADIBUS
ACADEMICIS,
QUAM
Annunte JEHOVA
AUTORITATE & DECRETO
ILLUSTRI
DOCTORUM ORDINIS
IN INCLYTA GIESSENSI UNIVERSITATE
Pro GRADU
& privilegiis doctoralibus in U. J.
legitimè capeffendis,
Ad d. Maji.
PUBLICO PROCERUM ACADEMICORUM
examinii submittit
JO. CHRISTIANUS ITTER,
MOENO-FRANCOFURTENSIS.
GIESSÆ,
Ex Officinâ JOH. EBERHARDI PETRI & CHRISTIANI LIEBENSTEINI.
Ann. M. DC. LXXVIII.

